Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ista mulier? non caro domini? Quid est sermo tuus? non euangelium? Que sunt tres mensure? non omnes gentes propter tres filios noe? Ergo sex ydrie capientes metretas binas vel ternas, sex etates temporum sunt, capientes prophetiam pertinentem ad omnes gentes. sive in duo genera hominum, id est iudeis et grecis, sicut sepe apostolus commemorat; sive in tribus, propter noe tres filios significatas. Figurabatur enim prophetia porrigens ad omnes gentes. Nam ideo quia porrigitur, dicta est metreta; sicut dicit apostolus: Accepimus mensuram pertingendi usque ad vos. Gentibus enim euangelizans hoc ait: mensuram pertingendi usque ad vos.

Ab eo Explicit Omelia VIII. Incipit VIIII. quod dictum est: post hec descendit capharnaum ipse et mater eius, usque ad id quod ait: Ille autem dicebat de templo corporis sui.

IN PSALMO AUDIVIMUS GEMITUM pauperis, cuius membra per totam terram tribulationes patiuntur usque in finem seculi. Satagite fratres mei esse in his membris et de his membris; nam tribulatio tota transitura est. Ve gaudentibus! veritas dicit: beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur. Deus homo factus est: quid futurus est homo, propter quem deus factus est homo? Hec spes consoletur nos in omni tribulatione et temptatione huius vite. Non enim cessat inimicus persequi; et si non aperte sevit, insidiis agit. Quid ait enim? Et super terram dolose cogitabant. Inde dictus est leo et draco. Sed quid dicitur Christo? Et conculcabis leonem et draconem. Leo propter apertam iram, draco propter occultas insidias. Draco eiecit adam de paradyso, idem ipse leo persecutus est ecclesiam dicente petro: Quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit querens quem devoret. Non tibi sententiam suam dedisse diabolus videtur quando blanditur; tunc enim magis cavendus est. Sed inter has omnes insidias et eius temptationes quid faciemus? nisi quod ibi audivimus: ego autem cum mihi molesti essent induebam me cilicio et humiliabam in ieiunio animam meam. Est qui exaudiat. ne dubitetis orare; qui autem exaudit intus manet. Non in montem aliquem oculos dirigatis, non faciem in stellas aut in solem aut in lunam levetis, non tunc exaudiri vos arbitremini quando super mare oratis; immo detestamini tales orationes. Munda tantum cubiculum cordis; ubi fueris, ubicumque oraveris, intus est qui exaudiat in secreto, quem sinum vocat cum ait: et oratio mea in sinu meo convertetur. Qui te exaudit, non est preter te. Non longe vadas nec extollens attingas ad illum. magis si te extuleris cadis; si te humiliaveris, ipse appropinquabit. Hic dominus deus noster verbum dei, verbum caro factum est, filius patris, filius dei, filius hominis; excelsus ut nos faceret, humiles ut nos reficeret; ambulans inter homines, patiens humana, abscondens divina. descendit ut dicit euangelista capharnaum ipse et mater eius et fratres eius et discipuli eius, et ibi